



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale, sev Institvtio Sacerdotvm, Ex Divinis Litteris Et Vetervm Patrvm Disciplina**

**Torres, Alfonso de**

**Ingolstadii, 1604**

VIII. Ne sit turpis lucri cupidus Sacerdos: ne vsurarius, ne fur, ne falsarius,  
ne aleator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

## CAPVT VIII.

*Non turpis lucri cupidum.*  
**NE SIT TURPIS LVCRI**  
**CVPIDVS SACERDOS:**  
**NE VSVRARIVS, NE FVR,**  
**NE FALSARIVS,**  
**NE ALEATOR.**

## SUMMARIVM.



*VRPE lucrum, quid sit. 2.*

*Per id nihil Clericus acquirat. 4. 5.*

*Neq; sit conductor, aut procurator priuato-  
 rum. 5.*

*Iniqui vndequaq; etiam ex malo lucrum acquiri posse  
 existimant. 2.*

*Vsuræ non exigenda. 1.*

*Vsurarij Clerici qua pœna mulctandi. 6. 7.*

*Clericus furtum faciens septem annis peniteat. 8.*

*Clericus falsarius qualiter puniendus. 9.*

*Clericus alea ludens excommunicetur. 10.*

*Nec ludis intersit. 11.*

*Contrafaciens qua pœna mulctandus de iure ciuili.*

12.

**S**I pecuniam mutuam dederis populo meo pau-  
peri, qui habitat tecum, non vrgebis eum qua-  
si exactor, nec vsuris opprimes. Si pignus à proxi-  
mo tuo acceperis vestimentum, ante Solis occa-  
sum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operi-  
tur, indumentum carnis eius, nec habet aliud in  
quo dormiat: si clamauerit ad me, exaudiam eum,  
quia misericors sum. *Exod. 22. I. eu, 25. Deuter. 23. 29.*  
*2. Esdra 5. Psalm. 14. 54. 71. Prouerb. 28. Ezechiel. 1. 8.*

Æstimauerunt lusum esse vitam nostram, &  
conuersionem vitæ compositam ad lucrum, &  
oportere vndecumque etiam ex malo acquirere.  
*Sap. 15.*

### Turpe lucrum quid sit.

**M**ULTA sunt negotia sæcularia, de quibus pau-  
ca perstringemus, &c. Quidquid plus iusto appe-  
tit homo, turpe lucrum est, munera iniusta accipe-  
re, vel etiam dare, &c. *Vide sup. c. 3. de rebus sacerdoti  
prohibitis in genere, n. 5.*

### Clericus nihil per turpe lucrum acqui- rat.

**Q**UÆ per turpe lucrū in rebus Ecclesiasticis effi-  
ciuntur, aliena consistunt à Deo. Ad vitæ vero hu-  
ius necessitatem studia sunt diuersa. Ex eis ergo,  
qui voluerit, acquirat corporis opportuna. Ait  
enim Apostolus: Ad ea, quæ mihi opus erant, &  
iis, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.  
*Septima Synodus Nicæna c. 15. Rhem. c. 3. Iuo p. 6. c. 311:  
21. q. 1. c. Clericus.*

De eodem : & quod non sit Clericus conductor, aut procurator priuatorum.

- 5 PLACVIT, vt Presbyteri, atque Diaconi, vel Clerici, non sint conductores, aut procuratores priuatorum, neque vllō turpi, & in honesto negotio victum quærant : quin respicere debent scriptum  
 2.Ti. 2. esse: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. *Concil. Carthagin. 3.c.15. 21. q. 3. c. placuit. Paris. c. 28. de vita, & hon. Cler. c. fin.*

Si quis Clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit degradari, & abstinere scilicet à Sacramentis, quousq; pæniteat.

- 6 *Concil. Eliber. dist. 47. c. eod.*

Presbyter, aut Diaconus, vsuras à debitoribus exigens, aut desinat, aut certo damnetur.

- 7 *Canon Apostolorum 44. Concil. Nicanum c. 17. Tarracon. c. 3. Carthagin. 1. c. 16. dist. 47. c. Episcopus, & per totam. 14. q. 4. c. ne hoc. de vita, & hon. Cler. c. 2. luo p. 6. c. 65. 66. 195.*

Si quis Clericus furtum fecerit capitale, id est, quadrupedem, vel domū fregerit, aut quamlibet rem melioris pretij furatus fuerit, septem annis pæniteat.

- 8 *Penitentiale Roman. 17. q. 4. c. eod.*

Falsa.

## Falsarij Clerici poena.

OMNES falsarios literarum nostrarum, qui per se, vel per alios falsitatis vitium exercent, cum fautoribus, & defensoribus suis, anathematis vinculo decernimus innodatos: statuentes, vt Clerici, qui falsarij fuerint deprehensi, omnibus officiis, & beneficiis Ecclesiasticis perpetuo sint priuati; ita quod, qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per Ecclesiasticum iudicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur, secundum constitutiones legitimas puniendi, per quam & laici qui fuerint de falsitate conuicti, legitime puniantur, si clerici fuerint, officiis & beneficiis Ecclesiasticis puniuntur. *Urbanus 3. de crim. falsi, c. ad audientiam, c. dura. c. ad falsariorum, de verborum sign. c. nouimus 2.*

## Clericus alea ludens excommunicatur.

NULLVS omnino Clericus ab hoc deinceps 10. tempore alea ludat: qui secus fecerit, excommunicetur. *Canon Apostolorum 42. dist. 35. c. Episcopus. sexta Synodus c. 50.*

Ad aleas, & taxillos non ludant Clerici, nec huiusmodi ludis intersint.

*Innoc. 3. de vita & hon. cler. c. pen. ne Cler. vel mon. 11 cap. 1.*

## De pœna ludentium Sacerdotum, aut ludis assistentium, de Iure ciuili.

¶ INTERDICIMVS sanctissimis Episcopis, & Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, & Lectoribus, & omnibus aliis cuiuslibet Ordinis venerabilis collegij, aut schematis constitutis ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes esse, aut inspectores fieri, aut ad quodlibet spectaculum spectandi gratia venire. Si quis autem ex his in hoc deliquerit, iubemus hunc tribus annis à venerabili ministerio prohiberi, & in monasterium redigi. Sed in medio tempore, si se pœnitentem ostenderit, liceat Sacerdoti, sub quo constitutus est, tempus minuire, & hunc priori rursus ministerio reddere. *Auth.*

*de Episcopis, & Cler. §. interdiciamus, coll. 9. de vita, & hon. Cler. cap. Clerici officia.*

